

denticulata, subglaberrima, vel pilis crispis simplicibus vestita; scapi breves filiformes; involucrium paucifoliolatum, subregulariter imbricatum, extus pubescens, foliolis exterioribus interdum pilis paucis longioribus fuscis munitis; receptaculi paleæ hyalinæ, apice setiferæ, coloratæ, achenia (juniora) excedentes; pappus ex radiis 10 longioribus deciduo-plumosis basi parum expansis, cæteris (fere 10) dimidio brevioribus inter priores extus adjunctis; achenia nimis immatura ulterius observanda.—*Hab.* In regione superiori Atlantis Majoris. In convalle Ait Mesan! et in jugo Tagherot! a 2400^m ad 3200^m.

Species insignis nulli proxima, primo intuitu inter *Leontodontes* adscribenda.

Leontodon hispanicus, Merat; subsp. *L. Ballii*, Benth.—Differt a typo hisce notis. Indumentum biforme, ex setis rigidis apice furcatis vix uncinatis, et pube brevi araneosa; scapi breves, bracteis 1-2 linearibus instructi; involucrium minus regulariter imbricatum, foliolis interioribus paucis latiusculis; ligulæ extus rubellæ; receptaculi foveolæ margine brevissimo membranaceæ non ciliatæ; achenia apicem versus attenuata sed vix aut ne vix rostrata, subtiliter corrugato-asperula (nec muriculata) pappi setæ inæquales, longiores plumosæ breviores setaceæ.

Legi in Atlantis Majoris convalle Amsmiz! circa 1400^m.

Pro specie omnino distincta habuerim nisi tot tantosque lusus in hac grege observaverim. Ne dicam de notis specificis, characteres etiam generis nullomodo stabiles sunt. Inter specimina *L. hispanici* ad Fuente de la Higuera lecta (Bourgeau Pl. d'Espagne No. 1600) achenia exteriora incurva extus farinacea nec costato-striata pappo brevissimo fimbriifero coronata omnino ut in *Picride lyrata*, Del.

Leontodon (§ *Deloderium*) *trivialis*, nob.—Radix indurata, annua vel biennis, caules (vel potius scapos) plurimos emittens folia radicalia, lineari-oblonga vel lanceolata, profunda dentata rigida, subglaberrima vel pilis simplicibus hispida; scapi glabri 1-3-cephali, aphylli; involucrium imbricatum, demum subcylindricum; receptaculum fimbriatum; achenia in rostrum semetipsis subæquale sensim angustata; cætera ut in § *Deloderium*.—*Hab.* In ruderatis Imperii Maroccani meridionalis, ut videtur sat frequens. Legi in Prov. Shedma! prope Mtouga! et specimen vidi in ditione Mesfioua lectum a celeb. J. D. Hooker.

Planta humilis; specimina sæpissime erosa vel sub pedibus conculcata. Ab affini *Apargia annua*, Vis. Pl. Æg. et Nub., p. 38, tab. 6, cæteris prætermisissis differt achenio longe rostrato nec erostris. *Crepis hispidula*, Del. (*Leontodon Delileanus*, nob.), differt achenio apice in rostrum sibi duplo longius abrupte angustatum.

Sonchus tenerrimus, L.; var. *tuberculatus*, nob.—A typo differt insigniter acheniis rugoso-tuberculatis, brevioribus et simul majoribus, et insuper capitulis majoribus, ligulis aurantiacis, foliis minus profunde pinnatifidis, caulinis basi grosse auritis.—*Hab.* In rupibus arsis insulæ Mogador!

In copia magna speciminum *S. tenerrimi* (speciei summo pere ludibundi) achenia nostris similia nunquam observavi.

Sonchus fragilis, Ball in Herb. (1852)—*S. tenerrimus*, L.; var.

pectinatus, Coss. in Bourgeau Pl. d'Algérie (1856, No. 84).—Radix crassa, suberosa, caules breves foliosi; folia pinnata, segmentis subalternis, ovato-rotundis, acutiusculis; pedunculi breves apice non floccosi; involucri foliola et ligulæ latiores quam in *S. pectinato*; achenia vix, aut ne vix, compressa, 4-5 costata, tam in costis quam in interstitiis lævia.—*Hab.* In rupibus juxta urbem Tetuan. Legi anno 1851 et iterum 1871.

Acheniis diversissimis præter habitum singularem a *S. tenerrimo* optime dignoscitur. Si ullo alio foret *S. maritimo*, L., magis affine; sed in hoc achenia 8 costata.

Genus *Sonchus* est in ditione Floræ Maroccanæ valde ludibundum. Formas plurimas serius evulgare proposui. Inter alias notanda est *Sonchus tenerrimus*, L., var. *arborescens*, Salzm. Exsicc. planta 6-8-pedalis var. *insignis* nisi potius subspecies (?).

Jasione cornuta, nob.—Annuæ; caulis subsimplex in pedunculum nudum desinens; folia lineari-lanceolata, acuta, repando-dentata, superne vix decrescentia; involucri foliola 8-9, e basi lata ovata longe acuminata, flores longitudine superantia recurva, cum foliis et caule ciliato-pilosa; pedicelli cum calycibus glaberrimi; lacinie calycinæ angustissimæ in setas capillaceas floribus æquilongas productæ; capitulum pro genere magnum.—*Hab.* In prov. meridionalibus Imper. Maroccani, sat frequens. Haha! Shedma! Ourika! Reraya! Mesfioua!

Species ex involucri foliolis cornuformibus insignis.

Jasione atlantica, nob.—Perennis; caules numerosi prostrati, ramis elongatis debilibus, sterilibus dense foliosis, floriferis superne nudis; folia obovato-lineararia, obtusa, brevia; involucri foliola 12-13 ovata margine undulata cum foliis et pedunculo glaberrima vel pube tenui leviter adpersa; pedicelli cum calycibus glaberrimi; lacinie calycinæ brevis vix quartam partem corollæ longitudine attingentes.—*Hab.* In regione superiori Atlantis Majoris. In convalle Ait Mesan! a 2000^m ad 2500^m.

A *J. amethystina*, Lag. et Rod., præter indumentum diversum differt laciniis calycinis multo minoribus.

Echium modestum, nob.—Radix annua, tenuis; caulis erectus, tenuis, spithamæus parce ramosus; folia lineari-oblonga, acutiuscula pube brevi setis longioribus intermixta vestita; inflorescentia scorpioidea subsimplex, rarius ramosa; bracteæ parvulæ calyce hirsuto breviores; corolla cærulea, pubescens, calyce duplo longior; antheræ exsertæ.—*Hab.* Frequens in regione arida Imp. Maroccani meridionalis—Shedma! Ain Oumast! Mesfioua! Mtouga! Seksaoua! Agadir.

Characteribus supra citatis et habitu diverso ab *E. setoso* diversum. *E. maritimum*, W., præter alias notas differt staminibus inclusis. Nuces in pl. nostra superne acuminatæ, tuberculatæ, costis elevatis, præditæ.

Anchusa atlantica, nob.—Radix biennis; caulis erectus, simplex, foliosus; folia lanceolata, inferiora in petiolum latum attenuata, superiora sessilia, semiamplexicaulia; inflorescentia composita, ex racemis in axillis fol. superiorum ortis; corolla regularis, ochroleuca, (in spec. nostris) hexamera; stylus inclusus; germen (immaturum) læve.—*Hab.* In regione media Atlantis Majoris, convalle Ait Mesan! a 1900^m ad 2000^m.